



Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques
Leodii, M.DC.LXV.

§. 4. Occurritur objectis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

Patrocinium Defunctorum. *Lib. I.* 39

esse possint incolæ, mœrore pudorêque confici, præ quo mors ipsa delicia dici potest.

125. *Et sponsarum Christi.* Venio tandem ad sponsarum nomen, dignitatêque, postremum fontem lachrymarum, quibus fideles animæ in illâ beatitudinis morâ perfunduntur. Constat enim eas Christi esse sponsas, & nos non uno loco dicemus. Constat item statim à morte tempus adesse nuptiarum, conjugii sacratissimi cum Christo perficiendi. Et ipse sponsus earum unamquamque invitavit hisce verbis: *Veni de Libano sponsa mea, veni coronaberis.* Et ecce quando morte obitâ veniunt, gratiæ, cæterarumque virtutum ornamentis ad nuptias cælestes paratæ: quando ad castissima sponsi oscula, complexumque aspirantes, dicunt: *Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis,* cheu! non modò ab osculis, complexuque sponsi, sed etiam ab illius conspectu severè arcentur: neque jam illum sponsum, sed judicem iratum experiuntur, & velut ipso indignæ, imò & eius inimicæ in lamentabile exilium relegantur. O sortem peracerbam! quam tamen uti & alias priores repullas maxime exasperat illarum causa. Quenam enim illa? nempe quia miseri illi, seu peregrini, seu Dei filii, seu cæli hæredes, seu animæ Christi sponsæ à summo illo bono sese averterunt, ut fordidæ, leviculæque voluptati, ut lucro rerum terrenarum inani, ut fumo gloriæ captando liberè vacarent. Quare jam maxime persentiunt hujus carminis Regii veritatem: *Verumtamen vani filii hominum,* vel ut Hebræi significantius: *Vanitas filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum, sive ut iterum Hebræi cumulatiùs, ad ascendendum ipsi de vanitate in idipsum.* Psal. 61. quasi canat Vates, filios hominum non modò vanitatem esse, ac merum mendacium, dum appensus velut in judicii staterâ, illinc beatitudine, hinc bonis terrenis, illam heu! iniquissimè his postponunt, sed vanitate ipsâ vaniores, ac leviores esse, præque illa ascendere, si eadem cum eâ bilance trahentur.

126. *Omnem superat mœrorem.* Itaque si cum hac sponsarum nostrarum ingenti tristitiâ mœrorem Polydoræ Sancti Alexii sponsæ composuero, quando ipse primâ nuptiarum nocte pio dolo circumventam clam deseruit, postque ignotus obtento intra paternas ædes tuguriolo stipite victiravit: si huic dolori alios alterius generis adjunxero, sive Sanctæ Helenæ Constantini matris, & aviæ Crispi Cæsaris,

cùm intellexisset fortissimum illum juvenem, castissimumque Josephum Faustæ ejus Novercæ pessimâ fraude à parente Constantino veneno sublatum; quasi patris torum violare nifus esset, cùm contra perditâ mulier ejus pudicitiam tentasset: sive Sancti Eustachii, quando jacturâ omnium bonorum factâ, Theopista primùm ejus uxor Naucleri perfidiâ illi erepta est, tum, & duo ejus filii in trajectu fluminis urso ac lupo in prædam cessere: sive Annæ Tobix conjugis, quando filio cum Raphaële comite iter ingresso cœpit flere, & viro dicere: *Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis:* ac deinceps eo ultra diem conductum cunctante: *Flebat irremediabilibus lacrymis, & dicebat Heu! Heu me! fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solarium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis:* sive denique alios aliorum dolores cum dolore, de quo agimus, comparavero, lucernam Soli opposuero, cùm & Dei jactura cæterarum rerum jacturam immensum superet, & pii manes ejus jacturæ momentum æquissimâ lance expendant, & amor illius, ac desiderium in iis summa fiant, & postremò causa jacturæ indignissima.

§. 4.

Occurritur objectis.

PRIVSQUAM ulterius progrediamur 127. visum est nonnulla refellere, quæ adversus sententiam Divi Thomæ prolatam objectantur. Nam contra illum tendit Bonaventura in 4. dist. 20. art. 1. quæst. 2. ubi docet minimam damni pœnam, pariter, & sensus, minimè graviolem esse maximis hujus vitæ, cui Bellarminus in hæc verba subscribit: *Licet enim absentia summi boni ex se generet in amante summam tristitiam, tamen in Purgatorio mitigatur hæc tristitia, & levatur magna ex parte propter certam spem illius boni acquirendi. Ista enim certissima spes adfert incredibile gaudium: & quod magis propinquat finis illius exilii, tanto magis gaudium crescit. Itaque solum in inferno pœna damni est summa: quia est annexa desperationi.* Sic Bellarminus. Verum, ut opinor, non magno perè urget. Etenim facile quisque concedet tristitiam illam, si certâ spe non mitigaretur, supplicia hujus vitæ omnia superaturam. Atqui spes illa nihil obstat, nam si quid obstarèt gravitati pœnæ damni, pariter

127. *Spes dolorem defunctorum parum minuit.*

pariter levaret dolorem exiguè perceptum. Est enim utriusque par ratio. Qui sit igitur, ut pii manes Bellarmini sententiâ gravissimam omnium poenam ab igne patiantur? si ponas tantam esse vim hujus doloris, ut etsi illius sensus ob eandem spem minuatur, tamen adhuc maneat omnium acerbissimus: idem dicam de tristitiâ gravitate: videlicet quamvis spe illâ remittatur, adhuc tamen manere omnibus hujus vitæ cruciatibus acerbiolem. Sin autem velis spem beatitudinis non conferre, ut dolor ab igne profectus, minus sentiat, sed ut feratur lenius; idem subjiciam pro tristitiâ, utique spe beatitudinis non effici leviolem, sed ferri pacatius. Et certè spes illa nec minuit præcipuum tristitiâ objectum in eo situm, quod quidquid est moræ, & jacturæ animis suâ culpâ contingat: nec efficit, ut dilatio minus displiceat: non igitur tristitiam levat. Nec refert quod spem certam præsertim, non mediocri gaudium naturæ spontè consequatur. Cum enim gaudium illud aliam causam, aliudve objectum sortiatur, quàm tristitia, potest unâ cum tristitiâ, sine hujus decremento consistere: præsertim cum anima corpore soluta diversarum affectionum capacior sit, non minus, quàm ejus mens, atque intelligentia diversarum cogitationum. Certè Suarius non admodum abnuat, quin, uti in animâ Christi summum gaudium partis superioris cum summo mœrore inferioris pariter constitit: ita in piis manibus fieri credatur. Malim tamen citra miraculum rem peragi: ita ut intensissimus quidem sit dolor: sed lætitia moderator, propterea quod eas spes, utcumque certa, tamen quamdiu durat, ingenti desiderio, dilationisque beatitudinis conjuncta sit, & quidem ob culpam, atque ad eò liquidum gaudium parere non possit. Quippe ad liquidum gaudium naturale requiritur, ut tibi nihil triste obversetur: ad mœrorem autem etiam summum, sufficit materia illius gravissima, etsi alia sint, quæ delectare alioqui possint. Porro hæc omnia mirificè confirmantur ex Immaculatæ MARIÆ gravissimo omnium martyrio. Quis enim neget & voluntatis illius cum divinâ majorem fuisse confessionem, quàm quæ in piis manibus reperiri queat: & spem certissimam beatæ resurrectionis Christi, ex quâ summum gaudium manare debuisset videtur? Et tamen constat una cum conformatione illâ voluntatis, & certissimâ spe tam optatæ matri resurrectionis filii, plus doloris persensisse Virginem, quàm Martyres omnes: imò, quàm animæ purgandæ persentiant.

Sed unus adhuc scrupulus Lectori examinendus est. Afferimus enim superius 128. *Neque is sensim decrescit.* probabile esse dolorem ab igne lustrali profectum, sensim minui: an eodem modo de tristitiâ philosophandum est? Sic enim rectè arguit Bellarminus: *Pœna illa, quæ est prope finem, debet ad eò esse remissâ, ut amplius remitti non possit, hic autem inveniuntur pœna, quæ plurimum remitti possent: sequitur ergo non quàmlibet Purgatorii pœnam esse maiorem maximâ huius vitæ pœnâ.* Sed quamquam totum id probabile censuerimus, ac modò censuimus, non tamen affirmavimus, aut affirmamus. Deinde ut affirmaremus, discrimen inter utramque pœnam assignari potest, quod ex omnium Theologorum sententiâ ignis agat, ut instrumentum Dei; plus minusve, pro meritis eorum, quos urit: quare ut est instrumentum ejusdem ad gravius aliquos, aliquos levius affligendos; ita esse potest ad gravius eosdem principio, levius deinceps afficiendos. Porro tristitia ex privatione Dei exorta tam in decursu, quàm initio idem, & invariabile habet objectum, scilicet privationem visionis beatificæ, & excellentioris gloriæ iacturam ex culpâ profectam: Et licet principio privationem illam visionis beatificæ respiciat ut diutius duraturam, ac deinde ut brevius; privatio autem diuturnior acerbiolem nata sit creare dolorem, quàm brevior, tamen ut rectè Suarius, præcipuus quidam mœstitiæ sensus enascitur ex iacturâ amplioris gloriæ, quæ iactura semper eadem manet. Deinde dato non concessio, eo respectu aliquatenus decrescere posse tristitiam, non continuo sequitur ita decrescere, ut huius vitæ molestias maximas adhuc non excedat. Præsertim cum etiam ob culpas admissas omnem modum excedere debere videatur, ut postmodum demonstrabitur.

Postremò si quis obiiciat Sanctos Patres 129. *Cur Patres in Limbo non multum cruciarentur.* limbo olim detentos non multum mœroris ex dilatione beatitudinis concepisse, ut patet ex Evangelio; ubi Abrahamus Lazarum consolari perhibet, facilis est ex superius dictis solutio, quod ad tristitiam gravem ex absentia alicuius boni hauriendam requiratur, & facultas eo bono fruenti (quæ tum deerat Sanctis illis Patribus, quia lytrum generis humani necdum erat solutum, atque ad eò nec referata Regiæ cœlestis ianua) & præterea ut tuâ culpâ eo bono priveris: quam culpam ab iis abfuisse pariter constat. Quod si in istes ex hac responsione consequi non iam dilationem beatitudinis, sed culpam fontem esse tristitiæ, quod Coninkus, & Dicastillo opponunt: non ægrè occurritur, si dicamus, quemadmodum

Patrocinium Defunctorum. *Lib. I.* 41

quemadmodum in damnatis privatio beatitudinis cum culpâ necessario conjungenda est, ut tantum pariat dolorem, ita in piis manibus. Utraque enim simul juncta utrobique unum doloris objectum efficit: adeo ut neque absentia beatitudinis, sepositâ culpâ, admodum affligat, nec culpa sine illâ jacturâ tantopere cruciaret.

§. 5.

*Confertur ea tristitia cum doloribus,
quos homines pii ex absentia
ejusdem Numinis
percipiunt.*

130.
*Pœna dam-
ni cedit
omnis dolor
naturalis.*

CONSULTO prætereo mœrores, quos ob cari capitis absentiam mortalibus creare solet nativa caritas. Mitto igitur pariter insanos amores, insanosque dolores, dignam parentibus progeniem, eò utque homines adigere, ut dæmonis operam cum animarum interitu adhibeant ad contuendos vel in speculo illos, quos perditè adamant, fallendūque importunissimum eorum desiderium. Missos insuper facio illos, quibus absentia sponsi, vel sponsæ tabem, tabes autem mortem peperit.

Sufficiet mihi aureum Chrysoctomi pronunciatum, quo mœroris naturalis ingenium bellè exprimit, dum carissimam Olympiadem ob suum Chrysoctomi exilium incredibiliter afflictam ita solatur: *Mœror, ait, grave animorum tormentum est, dolor omnem sermonum vim excedens, ac supplicium omni supplicio, ac cruciatu acerbius. Siquidem pestiferum vermem imitatur, non carnem dumtaxat, sed etiam animam perstringens, ac tinea est, non osium tantum, sed etiam mentis, ac perpetuus carnifex, non latus fodiens, sed animi vires labefactans, & perpetua nox, & tenebræ, & tempestas, ac procella, & obscura febris, quavis febre vehementius exurens, & bellum induciarum expers.* Hæc ipse, quæ satis constat tantum cedere luctui defunctorum, quantum Numinis jactura probè cognita, atque æstimata cedit alterius utcumque cari capitis absentia, aut jactura:

131.
*Item dolor
Patrum in
Limbo.*

Ad sacros itaque Numinis amatores venio, quippe quibus cum piis manibus major hujus generis inest similitudo. Nota sunt Adani, Sethi, Enoch, aliorumque Sanctorum è Limbo Patrum suspiria, Itaiæ voce expressa: *Rorate cæli desuper, & nubes pluani instum. aperiat terra, & genuinet Salvatorem. Utinam disrumperes cælos, & descenderes, & hujusmodi: quæ suspiria utique tristitiam eorumdem indi-*

cant: præsertim cum Sapiente teste Proverb. 13. *Spes quæ differtur, affligat animam,* sive ut est in Hæbreo: *Langor sit, & ægritudo cordis, & Patrum aliqui à ter mille annis Limbo attinerentur.* Verùm eam tristitiam multum levabat, ut diximus, tum quòd cælo frui non erat in eorum potestate, pretio Redemptionis humanæ necdum persoluto, tum quòd nullâ eorumdem culpâ cæli fores occlusæ erant: contra quam piis animis accidit, quæ, & viæ terminum, tempusque cernendæ cælestis hæreditatis noctæ sunt, & culpâ suâ eâ excluduntur: unde dolor maximè ingravescit.

Antiquos illos Patres sequuntur mortales sancti, quorum, & suo nomine Vates Regius cervi anhelantis ad aquas similitudine suam explicat fontium æternorum sitim, indeque natam mœsticiam. *Quem admodum, inquit, desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Siviit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur quotidie, ubi est Deus tuus? En sitim Sanctorum, en mœrorem. Et aliàs: Quare, ait, tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus: Et aliàs: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, siviit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. In terrâ desertâ, & invidiâ, & iniquitatè, sic in Sancto apparuit tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Nempe ut acriter sitienti durum est, in solo arido & invidio deprehensum errare: ita viris Sanctis in hoc mundo agere.*

132.

*Et Sancto-
rum mor-
taliū à
Deo exu-
lantium.*

Verùm Gentium Apostolus suo pariter, ac Sanctorum nomine easdem angustias illustrius exprimit, dum ait: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. nimirum corpus animæ carcerem esse insinuat sanè tristem, & horrendum; vel etiam esse tetrum cadaver, dum corpus mortis, seu mortuum vocat, unde præfactore, & horrore exilire animus vehementer exoptet. Quid? quod aliàs dolorem ejusmodi parturientis doloribus comparat. Sic enim ait Rom. 8. *Scimus quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc, non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus: scilicet velut ex difficili puerperio, adoptionem filiorum expectantes redemptionem corporis nostri.* Quare Augustinus alludens ad illud ejusdem Pauli votum: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo:*

133.

*S. Pauli, &
aliorum.*